



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

X. & utrum homines Præadamitas extitisse sibi finxerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

dignitate derogasse, in qua Adamus, cum in faciem ipsius spiravit Deus, Spiritum sanctum accepit. Verum postremus ille Origenis locus ex proxime præcedenti explicandus est: unde apparebit vitam ipsam mortalem cum futura comparasse vita, & existimasse nos in illam prodeuntes, ab ortu præferre imaginem Dei, hoc est, ut ait ipse, *possibilitatem perfectionis divinitus datam*, tum cum crearetur Adamus; adumbratam vero per recte facta similitudinem, in sequenti ævo, sive in consummatione, omnibus numeris iri absolutum. Quod si imaginem Dei nihil aliud esse voluit Origenes, quam *possibilitatem perfectionis divinitus datam*, ut præ se fert Rufiniana interpretatio, sequitur ipsam nequitiam censuisse ea Adamum excidisse, quippe quem plena numquamnon libertate fructurum esse sexcenties asseverarit. Eandem porro imaginis & similitudinis distinctionem retinuerunt Victorinus libr. 1. adversus Arium, & Eucherius Lugdunensis libr. 1. in Genesim, & Nicetas in The- fauro orthodoxæ fidei, libr. 4. Har. 31.

X. Ex superioribus lux conciliatur obscuro ac difficili Origenis loco Tom. 14. in Matth. pag. 356. ubi ab hominibus qui humo formati sunt, eos distinguit, qui ad Dei similitudinem fuere procreati: *ὄντες γὰρ ποτὶ ἐκείνον*, inquit, *ἴπλασε αὐτὸν* ὁ θεὸς τὸν ἀθεωρον, *χοῦν ἑαυτὸν ὡς τὸ γῆς, καὶ ὡς τὸ πλάσει αὐτὸν ἔκειθεν*. Factos quippe ad imaginem Dei homines, interiores homines & spirituales intelligit, sensilium ac corporalium rerum contagione immunes. Unde statim adiicit: *ὡς ποτὶ τὸ γῆν καὶ εἰκόνα, ὡς αὐτὸν, ἀλλ' οἱ μὲν ἀθεωροί, ἔργον οἱ δὲ θεοί, ἔπλασε*. Qui carni autem dediti sunt, & fluxis ac sordidis rebus delectantur, eos esse statuit vitam & uxorem, duos nempe in una carne. Similiter Philo hominem ex humo fictum ab eò sejungit & secernit, qui ad imaginem Dei creatus est; sed rem aliter explicat; hunc quippe hominem esse vult & ἀρχῆτον & κοίτην, sive hominis ideam, quæ Dei menti inest; illum vero hominem esse mortalem ac terrenum, ad hujus formam expressum. Inique ergo consuleretur in Origenem, si ex eò loco Præadamitas invexisse homines argueretur, cum alias sæpe Adamum ab initio rerum à Deo creatum asserat, ac primum hominem appeller. Iniquus etiam consuleretur in ipsum, si ex hoc altero, quem exhibet Methodius apud Photium Cod. 235, erroris eiusdem insimularetur: *ὅτι ἐν ὄντι ἀδάμ, ἂν φασὶ πνεῦμα ἔχειν ἀπὸ τοῦ ἀθεωροῦ, τότε ἀεὶ πνεῦμα πλάσει εἰς κόσμον παρῆλθεν. ἂν αὖ κόσμος ἀπὸ τῆς γῆς ἦν, ὡς ποτὶ τὸν ἀδάμ, ἡρώτως ἤρξατο δημιουργεῖσθαι*. Neque ergo ab Adamo, ut aiunt quidam, homo qui antea non erat, tunc primum formatus in mundum venit: neque rursus mundus ante sex dies quam fieret Adam, condi captus est. Non hic quidem Præadamitas, ut dictum est, sed pejus quid fingit; nempe ante hunc mundum mundos alios exiisse. Ait quippe Methodius ibi ipsum de Univerſi æternitate differere.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

DE ALLEGORICA SCRIPTVRÆ INTERPRETATIONE.

I. Allegoriis nimis indulgisse Origenem Patres clamant. II. Varia afferuntur loca in quibus literam rursus est pessumdedit. III. A quibus morem hunc interpretandæ Scripturæ accepit, exquiritur. IV. Idem aliquando suam literæ dignitatem servat. V. Refelluntur Eustathij Antiocheni adversus Origenis allegoriam querela.

I. QVANDO QUIDEM Theologiæ fundamentum est Scriptura sacra, & ex perverſis fere sanctorum Librorum interpretationibus hæreses profectæ sunt, plurimum Reipublicæ Christianæ interest, salvos eorum fartosque servare sensus, & nimium in ea explicanda ingenio suo permittentium hominum quorundam licentiam coercere. Propositum id unice fuit vetustis Ecclesiæ Patribus, ut ex perpetuis illorum adversus Scripturæ corruptores velitationibus intelligimus; adeo ut Origenes, quod in divinis Voluminibus edisferendis pessumdato nonnumquam, vel neglecto historico sensu, allegoricis expositionibus rei veritatem oblimasset, multorum insimulationes vivus videntque expertus sit, ut ipse queritur Homil. 13. in Genesim *si ergo incipiam & ego*, inquit, *Veterum dicta discutere, & sensum in eis querere spirituales, si conatus fuero velamen Legis amovere, & ostendere allegorica quæ scripta sunt, fœdus quidem puseos: sed statim mihi movebunt calumnias amici literæ, & insidiabuntur mihi, inimicitias continuo, & persecutiones parabunt, veritatem negantes stare posse nisi super terram*. Et quoniam perlata patet iste error, multorumque errorum veluti seges est, idcirco è novem criminationibus à Pamphilo in Apologia collectis, quarta & sexta eo pertinere reperiuntur. Theophilus quoque Paschal. 1. *Quæ enim ilium ratio, inquit, quis disputationum ordo perduxit, ut allegoria umbris & casibus imaginibus Scripturarum tollet veritatem*